

obsidionem solvendam. Mediolanenses, qui vidissent Cæsarienses impigros extitisse, ac foedus initum inviolabiliter servasse, quippe cogitarent contingere posse, ut & ipsi aliquando externa ope indigerent, auxilium ferre decreverunt. Quare nonnulla oppida Ticiniensium aggressi, Bronium, & sanctum Nazarium diruerunt; moxque ad Clastidium exercitum, & Carrociium ducere cœperunt, ut de summa belli cum Federico ipso disceptarent. Sperabant enim, si inter suum exercitum, & Cæsariensium copias Imperatorem includere medium possent, se dubio procul victoriam reportaturos. Cæterum Ticinenses statim Federicum admonent de Mediolanensium celeri adventu, proinde rebus suis ipse mature consuleret. Hoc nuntio accepto Federicus nil exterritus palam, sed in corde suo magnopere excruciat, statim suos milites conclamavit ad arma, & publice profitebatur se proprium exercitum in Mediolanenses ducere velle, a quibus existimabat se insignem victoriam reportaturum. Et ita Derthonam versus perrexit, ut inde ad vicum Iriæ, & mox Clastidium perveniret. Mediolanenses vero, & socii ubi intellexerunt Imperatorem rei militaris scientissimum in ipsos movere, credentes eum suis copiis occisurum, statim constituerunt, castraque munierunt, ut hujus consilii, & conatus finem præstolarentur. At Federicus, ut erat Dux impiger, ac vafer, cum se in Mediolanensis exercitus conspectum dedisset, atque illi interim prælio se accingerent, aciemque explicarent, vertit ille iter ad culmina montis prope Clastidium, ut hac ratione Mediolanensium irritos conatus faceret, & eluderet. Cæterum Cæsarienses, qui & ipsi auxilium a Mediolanensibus expectabant, cogitantes id, quod revera esset, Federicum vel adversus foederatum exercitum properare, vel obsidionem relinquere, statim copiis eductis, in Friderici Imperatoris abeuntis postremum agmen impetum fecerunt, illumque nullo negotio fundunt, fugantque, castellumque satis firmum diruunt, foloque æquant. Fama est castellum illud fuisse in loco prope Burmidam, juxta prædia Cæsaris Lanzavecchiæ, uxoris meæ fratris, in quibus alias multa arma, & militaria vasa reperiebantur, Vallettaque appellatur. Moxque direptis Federici castris, Imperatorem persequi cœperunt prudenter tamen, & caute, ne locum aliquem infidiis faciendis darent Federico. Hic dies fuit Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi VI. aprilis, indictione octava MCLXXV.; cum jam sex menses, & dies septem ab initio obsidionis istius decursi essent. Mediolanenses cum vidissent Federicum leonis more fugere, statim legatos miserunt Cæsariensi populo, qui de patria liberata gratularentur, ac pacem perpetuam profiterentur cum illis habituros. Dein uti æquum erat, concurrunt ad Dei Opt. Max. templa, per totam Cæsaream vota exsolventur, & Altissimo gratiæ ob liberatam a tanto periculo civitatem aguntur.

Sed hic deplorandum est, quod veterum scripturarum incendio consumpta infeliciter nomina illorum præclarorum Ducum interierunt, qui pectora sua hosti præbuerunt, quique fortiter, & viriliter

pro patria mortem appetierunt. Sed, piæ animæ, nobis potius lugendum est, cum quidquid a vobis strenue factum fuerit, id omne in cœlis scriptum invenietis. Cum vos, vestraque omnia pro patria hosti objeceritis, atque quod longe maximum, maximeque pium est truculentissimo hosti pro Sede Apostolica opposueritis. Vos vero scriptores Germani, qui de Federico ipso in Derthonæ, & Mediolani obsidione tantam verborum copiam effudistis, cur hac in re tam avari, & minime liberales extitistis? Vulnere fortasse ipsa vos a scribendo detinuerunt? An devicti Principis, atque crudelis iram ut desisteretis, id a vobis minime factum fuit? Quod in primis si fideliter historiam conscribere voluissetis, a vobis præstandum erat.

Narrant scriptores nonnulli, quod post solutionem ante memoratæ obsidionis, & recessum fugacem Federici Imperatoris, urbs nostra illico priori renunciato nomine Cæsareæ, illud Alexandria lænter assumeret in obsequium, & perennem recordationem Summi Pontificis Alexandri III., cujus jura, dignitatemque jam a primis diebus ortus sui juraverant habitatores ejus omni posse defendere, ac constantissime venerari. In benemerentiam tantæ fidei, & devotionis ab isto populo patefactæ erga sanctam Apostolicam Sedem, & visibile Caput Ecclesiæ Catholicæ, plures a memorato Pontifice gratias, atque prærogativas Alexandrini sunt consecuti, illamque præcipue quod eorum civitas ipso tempore fuit sede Episcopali condecorata; idcirco in suis Annal. Eccles. notavit Baronius „ Alexander vero Papa suos Alexandrinos, qui „ perquam strenue dimicantes, de victo, & fugato Imperatore adeo gloriosa trophæa erexit, „ sent, eo plane beneficio muneravit, ut ipsam „ Alexandriam in sedem Episcopalem erigeret, „ & ex Romana Ecclesia primum Episcopum „ daret.

Eodem circiter tempore fama est, quod commune Alexandria in suo civico stemmate gentilitio (ex cruce rubra in argenteo campo composito, & ab initio civitatis ipsius elato) leoninum illud carmen apponeret, auctore, si claris scriptoribus credendum est, Alexandro III. Pontifice Maximo

Deprimit elatos, levat Alexandria stratos.

Jam patet novæ urbis origo, & obsidio, quam ipsa ab incunabulis suis passa fuit; qua nullam, aut periculosiorem dicas, si oppugnantium vires, & fortunam spectes, aut nobiliorum, si obsessi populi constantiam, atque animum consideres, aut etiam gloriosorem, & magis piam, si causam æstimes, studium scilicet tuendæ libertatis suæ semel partæ, & Apostolicæ Sedis, & fidei conservandæ, atque amplificandæ. Incolæ enim novæ civitatis in ipso initio docuerunt Imperatorem furentem audacia, faces, & cædes anhelantem infringi posse, ac nullum felicius cedere bellum, quam id, quod pro Religione Christiana sumitur. Nunc vero ipsorum novæ urbis incolarum progressum demonstrabo; idque annuatim, ut casus accidit, cum historiæ istius fines non patiantur, ut quod alio modo, atque aliis temporibus factum fuit sub historiæ perpetuo stilo exponatur; sed in suos quoque